

ANN. XVIII - FASC. VII


MENSE IULIO MCMXXXI

ALMA ROMA



NON QVID
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis: 200.

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integral ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXX, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 400 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 800, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII

Romae, Mense Julio MCMXXXI

Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Roman, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

SCIENTIAE PERVESTIGATIONES PER NUNTIOS RADIOPHONICOS VULGATAE

Vaticana radiophonica statione constituta, Pontificia «Scientiarum» Academia (*Novi Lyncei*) consilium, ingeniosum profecto, iniit, per nuntios radiophonicos, ab eadem statione prolatos, doctrinae divulgationis novum genus inducendi. Pio Pp. XI, omnium bonarum artium Patrono, augusto assensu suo rem comprobante, opus inceptum est, in duas partes distributum, alteram quae doctrinae notas diffunderet, alteram quae notitias; utramque ab Academiae sociis latina praesertim lingua exarata.

Quid si utrius frugiferi laboris participes et socios lectoresque nostros faceremus?... Mentem hanc nostram Academiae Praesidi, clarissimo et reverendissimo viro Iosepho Gianfranceschi e S. I., aperuimus; qui, pro sua humanitate, fasciculos, radiophonicos nuntios iam vulgatos colligentes, nobis ad rem libenter tradidit, atque in posterum qui sequuturi erunt, se constanter ultro traditurum promisit.

Sint ei igitur debitae gratiae, dum nos novo ALMAE ROMAE capiti, quod procul-

dubio acceptissimum erit, initium hodie facimus; eaque maiore animi voluptate, quod novum argumentum datum est ostendendi latinam linguam in doctorum universum sermonem vere et nostris diebus invehi posse.

NOTAE.

DE MICHAELA FARADAY SODALI LYNCEO, CENTESIMO RECURRENTE ANNO A PRAECIPUIS EIUS INVENTIS.

Die undetrigesimo mensis Augusti huius anni centesimus explebitur annus ab inventis Michaelis Faraday circa inductionem magneticam.

«Pontificia Academia Scientiarum», quae gloriatur tantum Virum sodalem habuisse, celebrationis, quae apud omnes doctorum coetus pro re fiunt, plaudit et adhaesionem praebet.

Ad hanc celebrationem iam ipse dissertationem habui diebus transactis, secunda die hebdomadis academicae, quam breviter hic perstringam.

Michael Faraday plurimas inter difficultates vitam arripuit. A parentibus apud

bibliopolam ut operarius missus, discendi studio eos ipsos libros, quos de officio religare debebat, legere incepit, eos praesertim qui de scientiis agebant.

Ex benevolentia cuiusdam emporis frequentare potuit lectiones quasdam celeberrimi magistri Davy; a quo cognitus, prius ad inserviendum acceptus, postea gradatim ut adiutor et comes assumptus est. Tanto magistro Faraday inquirere coepit in res chimicas, de quibus et scripsit usque ad annum millesimum octingentesimum trigesimum. Tunc autem novas aggressus est inquisitiones in rem electricam, et iam ab anno millesimo octingentesimo trigesimo primo usque fere ad vitae finem, ad annum millesimum octingentesimum sexagesimum, illas mirabiles inquisitiones produxit de re electromagnetica, quae apud Regiam Societatem Londini pervulgatae sunt.

Praecipua tamen, ut novimus, ea sunt, quae de productione inductionis electromagneticae scripsit, quaeque fundatum statuerunt universae electrotechnicae artis; insuper quae de decompositione electrolitica, cuius duas praecipuas leges invenit, quaeque de «diamagnetismo» et de actione campi magnetici in «lucem polarizatam» redigit.

Sed et mirandam instituit syntesim phaenomenorum electromagneticorum in sua conceptione de lineis virium, quae, dum per spatii polarizationem perspicua reddunt quae de propagatione actionum roboris electrici et magneticae novimus, destruunt simul quae falso de actione in distans tunc adhuc tenebatur a pluribus. Haec autem conceptio viam stravit theoriae Maxwellianae electromagneticae, quae ab Hertz per experimenta tam praeclare confirmata est.

Hinc Faraday studia non tantum ad omnes roboris electromagneticici applicationes, quae in multiplice industria electricae vis nunc usurpantur; sed et mira-

bili modo radiotelegraphiae et radiotelephonae proluserunt.

Praeterea omnes sciunt tothomines doctissimos de tanti Viri inventis deque eius integritate et probitate laudes contexisse.

ALOYSIUS LOMBARDI.

DE PROPAGATIONE UNDARUM, QUAE A RADIO-VATICANA STATIONE EMITTUNTUR.

Radio H. V. I., uti notum est, duplicitis frequentiae undas emittit, scilicet 5968 Kc. et 15120 Kc.

Ambae optime receptae sunt in universo orbe; breviores melius in die, longiores durante nocte.

Ex recensione relationum quae nobis pervenerunt videntur longiores undae melius recipi in emisphero boreali, breviores in australi. Videntur nempe breviores undae aptius lineam equatorialem pertransire.

Raro tantum experiuntur demissiones vehementiae in receptione. Hoc certe singulari constantiae et stabilitati undarum tribuendum est. Oscillationes, durante emissione, iuxta strumenta apta ad dimentidam longitudinem undarum in nostro laboratorio non pervenient ad millimetrum; de die in diem ad summum ad aliquot millimetra pertingere possunt.

Denique non existent zone silentii. Receptae enim sunt cum a locis paucis tantum chilometris a nobis dissitis, tum a locis antipodum: hoc est 20000 Km.

Si quid expertum est, hoc unum est, quod in dissitis regionibus melior fit receptio quam in propinquis.

JOSEPH GIANFRANCESCHI.

DE CONSTANTIA VELOCITATIS LUCIS.

Non semel tantum proposita est quaestio de constantia velocitatis propagationis lucis, quae certe magni momenti est in rebus physicis.

Dominus Gheury de Bray, qui iam ab anno millesimo nongentesimo vigesimo septimo, ideam proposuerat de decremente velocitatis in tempore, nunc denuo in periodico anglico *Nature* rem attingit, nam mensurae nuper a Michelson, et postea a Karolus et Mittelstaedt datae, videntur ideam confirmare.

Si tamen rem ad trutinam revocamus, non videtur nobis hypothesis Gheury de Bray confirmari. Nam mensurae a Michelson datae anno millesimo nongentesimo vigesimo quarto et millesimo nongentesimo vigesimo sexto, non differunt nisi maiori precisione, et mensura a Karolus et Mittelstaedt data, quamvis minor apparat, tamen attenta precisione ad superiores attingit.

Si denique valores omnes a physicis computati ultimo fere saeculo insciuntur, hypothesis vim omnem amittere dicenda videtur.

JOSEPH GIANFRANCESCHI.

DE SYMBIOSI PHYSIOLOGICA HEREDITARIA.

Per plurimas inquisitiones experimentales illustravi speciem quamdam associationis inter naturam animalium et micetorum monocellularium, praesertim blastomiceta et bacteria, quam symbiosin physiologicam hereditariam voco. In hac speciali symbiosi, microrganismata, in animalium texturis recepta, potius quam hospiti noceant, in eorum bonum evadunt. Sic, exempli gratia, favent sanguinis digestioni in hematophagis, ligni in xilophagis, plumarum et substantiae cornea in cheratinophagis et chitinophagis. Praesentia istorum microrganismatum in omnibus individuis eiusdem speciei fit per translationem hereditariam.

Peculiaris quaedam activitas symbiontum a me ipso reperta haec est, quod plurima animalia, marina praesertim, visibilia evadunt durante nocte per quaedam

organa luminosa, in quibus lux ex bacteriis photogenis in organis receptis emanatur.

Animalia symbiotica, sive photogena sive non, ad plurima centena numerantur.

En novam habes, et omnino dignam studio, seriem problematum in moderna biologia.

HUMBERTUS PIERANTONI

NOTITIAE.

DE NUBIBUS COSMICIS PATRIS HAGEN.

In Specula Vaticana hisce diebus ad felicem exitum perducta est illa caeli perillustratio, quam Pater Hagen plus quam ante decem annos inchoarat ad notandas nubes cosmicas obscuras, quibus, iuxta eius inventa, totum fere caelum extra Viam Lacteum obducitur. Quam quum Pater Hagen propter assiduam mensum Martis et Aprilis intemperiem integre absolvere non potuisse, ad opus perficiendum, annuente libenter Summo Pontifice, invitatus fuit Doctor F. Becker, astronomus Bonnensis, qui olim per duos annos in hac Specula versatus, ipso Patre Hagen duce, ad observandas nubes cosmicas singularem erat nactus peritiam. Qui venit libenter et perfecit feliciter. Quam primum praelo subiicit catalogus addita tabula, qua nubium densitatem quinque gradibus distinctam unico conspectu licebit comprehendere, a polo boreali usque ad gradum vicesimum declinationis meridionalis.

STEIN.

DE HYDROGRAPHIA OCEANI ARCTICI.

Inter ea quae a Prof. Tenani ex Instituto Hydrographicó Ianuensi publicata sunt de inquisitionibus hydrographicis in oceano arctico, et praesertim in Kingsbay durante expeditione arctica italica, speciali nota dignum putamus quod ab ipso Auctore deducitur, nempe oceanum arcti-

cum sedem esse eiusdam oscillationis semidiurnae stabilis, cum centro amphidromico in medio bacini. Haec Auctor statuit extendens theoriam a Lamb propositam de oscillationibus marinis, quas a diurna terrae rotatione productas esse inducit. Quum autem ad arctidis concham theoriā applicat, recte deducendum demonstrat non adesse terras sive submarinas sive exsurgentēs in partibus adhuc inexploratis ipsius oceanī arctici.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De nominibus adiectivis leganter usurpandis.

I. — Nonnulla nomina adiectiva substantivorum mores induunt, quia eorum nomen substantivum per ellipsis reticetur²; v. g.:

Instituit officinam in *regia* (domo) (Cic., *De Sign.*, 24, 54).

Praeter *vitulinam* (carnem) nihil accedit (Corn. Nep., *Ages.*, 7).

Annales (libri) maximi (Cic.).

Exercitum in *hibernis* (castris) collocare (Caes., *Bel. gal.*, III, 29, 3).

II. — Substantivorum naturam obtinere possunt adiectiva qualitatem personae experientia:

1^o) quum personam indicant; ³ v. g.: Non intellegebat *miser* (Cic., *De Suppl.*, 62).

¹ Cfr. fasc. sup.

² Huius generis sunt, v. g.: *Patria* (terra). — *Natalis* (dies). — *Bacchanalia* (sacra). — *Oneraria* (navis). — *Laurea* (corona)... etc.

³ a) Possunt esse generis virilis aut muliebris, numeri singularis aut pluralis (cfr. BERGER, *Stylistique latine*, § 13, 1).

b) Haec sunt praecipua: *Amicus, amica, inimicus, intimica, adversarius, aequalis, senex, familiaris, cognatus, propinquus, aemulus, sponsus, necessarius*,

Amicos domini, eos habeat sibi amicos (Tac., *Agr.*, 5, 3).

Virgo Vestalis huius *propinqua et necessaria* (Cic., *Mur.*, 35).

2^o) quum personarum collectionem significant; ⁴ v. g.:

socius, iuvenis, adolescens, vicinus, sodalis, sapiens, intimus, finitimus, superstes.

N.B. — *Familiaris, amicus, inimicus* sive adiectiva sunt, sive substantiva.

Familiarior, amicior, inimicior non possunt esse nisi adiectiva.

Familiarissimus saepius substantivi mores induit. — *Amicissimus* et *inimicissimus* saepius adiectiva sunt; v. g.: Unus ex meis *familiarissimis* (Cic.). — *Amicissimi* plebi Romanae viri, T. et C. Gracchi (Cic.). — Duabus urbibus *inimicissimis* huic imperio (Cic.).

¹ I. — Quo genere, quo numero, quo casu? (cfr. BERGER, op. cit., § 13, 2).

Hic notasse sufficiat quae sequuntur:

a) Numerus pluralis frequentius usurpatur quam singularis; v. g.: *Docti, indocti, probi, improbi, pii, impii, diserti, divites, imperiti...* etc.

b) Numerus singularis tunc solum usurpatur,

1) quum nihil obscuritatis afferat; v. g.: *Probus* invidet nemini (Cic.). — *Sapiens* consolatione non egit —

2) quum genitivo effertur; v. g.: *Fortis et constantis* est, *Dementis* est (Cic.). — 3) quum instituitur expressa aut tacita collatio seu comparatio; v. g.: *Qui praestat igitur intellegens imperito?* (Cic.). — *Indignum* est a *pari* vinci aut *superiore*, *indignus* ab *inferiore* et *humiliore* (Cic.).

III. — Fere dicendum est; v. g. Vir vere sapiens (= verus sapiens). — Homo perfecte planeque eruditus (= perfectus eruditus). — Homo doctissimus (= doctissimus) — Homo doctior (= doctior).

IV. — Nomen adiectivum singularis numeris quod pronomini indefinito iungitur nunquam nominis substantivi vices gerit. Hinc dicitur, v. g.: *Nemo* (= nullus) doctus. — *Nemo* (= nullus) Romanus. — *Nec quisquam* (= ullus) sapiensi. — *Quivis* doctus.

V. — Adiectiva populorum seu nationum in singulari numero mores substantivi non induunt, nisi:

1) habent sensum collectivum; v. g.: *Romanus* (= Romani milites).

2) usurpant antonomastice ad designandum celebrem quemdam virum populi nomine; v. g.: *Poenus* (= Hannibal).

3) sunt nomina continua seu apposita; v. g.: Aristides *Atheniensis*. — Epaminondas *Thebanus* — Scipio *Africanus*.

4) pertinent ad sententias negativas; v. g.:

Hoc sentio, nisi in *bonis* amicitiam esse non posse (Cic., *Am.*, 5, 18).

Fortuna *fortes* premit, ignavos metuit (Sen.).

Non es admonendus neminem bonum esse nisi *sapientem* (Sen.).

III. — Ad notionem abstractam exprimentam, substantivorum mores induunt adiectiva neutrius generis

1^o) in numero singulari; ⁴ v. g.:

Dicere *falsum* (= falsitatem) (Cic., *Sull.*, 13, 39).

Utilitas, *iusti* (= iustitiae) mater et *aequi* (= aequitatis) (Hor.).

Quid *optimo* (= perfectione) melius cogitari potest? (Cic., *Rep.*, III, 35, 47).

In *angustum* (= angustum) venire (Cic.).

Disputationis *extremum* (= extremitas) (Cic., *De Am.*, 4, 14).

Canorum (= harmonia, splendor) illud in voce (Cic., *De Sen.*, 9, 28).

Hodie *Syracusanum* in ea parte habitare non licet (Cic., *Verr.*, II, 5, 32, 84).

Hinc dicendum addito nomine substantivo aut pronomine, v. g.: Arpinas *homo*. — *Homo Romanus*. — Graecus *homo* (Cic., *De orat.*, II, 18, 76) — Superari ab aliquo Syro aut Deliaco (Cic., *Or.*, 70, 232).

1 Sint exempla: *Bonum, malum, decorum, honestum, ridiculum, canorum, extremum, contrarium, verum, falsum, iustum, aequum, miserum, ambiguum, calidum, frigidum, utile, inane, commune, insigne...* etc.

NB. — Cicero dicit « pulchritudo », non « pulchrum »; v. g.: *Verissimum pulchritudinis iudicium* (Cic., *De Inv.*, II, 1, 3).

2) Haec adiectiva singularia neutrius generis saepe locum significant; v. g.: *In excelso collocare* (Cic.). — *In occulto stare* (Cic.). — *Veritas, in profundo est demersa* (Cic.).

3) Adiectiva singulare neutrius generis quae ad secundam declinationem pertinent et absolute ponuntur possunt esse casus pronominum *hoc, istud, illud, id, idem, quod, aliquid, quiddam* et aliorum neutrorum, quae partem rei totius indicant; v. g.: *Quum in geometria quiddam novi invenisset* (Cic., *De Nat. deor.*, I, 3, 36). — Species deorum quae, nihil *concreti* habeat (Cic., *De Nat. deor.*, I, 27, 75).

Attamen cum hisce pronominibus cohaerere potest adiectivum neutrius generis, etiam secundae declina-

2^o) saepius in numero plurali; ⁴ v. g.: *Ambiguorum* (= ambiguatum) plura genera sunt (Cic., *De or.*, II, 26, 111).

Cuiusque artis *difficillima* (= maxima difficultates) (Cic., *De or.*, II, 16, 69).

Occulta (= latebras) saltuum scrutari (Tac.).

IV. — Quaedam adiectiva in *bundus*, e verbis deducta, casus suorum verborum retinent. Sed rarer sunt usus; v. g.:

Populabundus agros (Sisenna).

Venerabundus regem (Q. Curt., 8, 5).

Vitabundus castra hostium (Tit. Liv., XXV, 13).

Gratulabundus patriae expravit (Iustin., 6, 8).

V. — Quibusdam adiectivis, ut *infestus, caecus, ignarus, ignotus, anxius, dubius*,

tionis; v. g.: *Virtus nihil in se habet magnificum, si quidquam habet venale* (SEN.).

N.B. — 1) Cum dictis pronominibus casu consentre debent:

a) adiectiva secundae declinationis, quae non absolute ponuntur, i. e. casum aliquem regunt; v. g.: *Nihil enim dicam reconditum, nihil exspectatione vestra dignum, nihil aut inauditum vobis aut cuiquam novum*. — *Reconditum*, non *reconditi* propter symmetriam.

b) adiectiva tertiae declinationis, quae non nisi propter numerum et harmoniam quandoque genitivo efferuntur; v. g.: *Nihil hostile fecit* (Iust.). — Species deorum quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis (Cic., *De Nat. deor.*, I, 27, 75).

2) Quum duo occurrunt huiusmodi adiectiva, quorum unum genitivo efferti potest, at non alterum. *Tutius est abstinere genitivo*; v. g.: *Nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus* (Cic.). *Aliquid vagum et instabile* (SEN.).

1 a) Numerus singularis et pluralis numerus non indiscriminatim usurpari possunt, vel in his concretis quae abstractorum locum tenent (cfr. *Alma Roma*, 1930, p. 110, nota 2).

b) Usurpari etiam potest circuitio cum substantivo « res ». Quae nunquam non usurpanda est, quotiescumque vitanda est amphibolia, v. g.: *Quum gravibus seriisque rebus satisfecerimus* (Cic., *De Offic.*, I, 29, 104). *Conditio omnium rerum humanarum* (= humanorum).

(Qui ubiores explicationes voluerit, aeat BERGER, *Stylistique latine*, § 13, 3).

cecidissent, ni servatus incolumis divinitus fuisset. Paulo post in carcerem iterum conicebatur in urbe Nagadras, deinde Kaffa, ubi commentaria sua diligentissime exarata aegerrime amisit. Mense Novembri (die xxx) beneficiae artis reus contra Regem Ennereae insimulatus, inquisitus atque ad mortem damnatus, capitali poena in perpetuum exilium habuit commutatam. An. MDCCCLXII, mense Iunio, in regione Goggiam, ubi tutam sibi sperare quietem arbitrabatur, delatus tamquam conspirationis est particeps contra dominantem Principem, et quamvis aperte se purgasset, tamen expulsus atque regredi ad regionem Gudru coactus est.

Anno MDCCCLXIII, Abyssiniam ingressus, a furentibus Theodori II militibus comprehensus, spoliatus atque ad Imperatorem ipsum est perductus, qui tamen illum post unius mensis carcerem dimisit. Tot tantaque pericula atque adversi casus nunquam potuere hominis vires, animum men temque labefactare, frangere!

Sed tamen aliquando quiete serenaque laetitia perfui nostro licuit. Primum omnium eum solabantur neophiti atque recentes Christianorum societates, quas Christo pepererat, qui omnes *Abuna Messiam*, promissa barba virum, venerando paternoque ore reverebantur, quique vici sim concordem omnium amorem atque in se studium excitabat. Deinde magna benevolentia, quam sibi tandem conciliavit apud Principes summos, in primis Theodorum II, Menelichium, ipsumque Imperatorem Ioannem, eousque perducta, ut saepe illum in aulas suas exciperent, cuius consilia in rebus maximi momenti amplectentur.

Adeo imo Menelichii animum praeoccupavit, ut hic condendo Coenobio Exia aliisque Missionum domibus potissimum iuverit, neque sit ab eo disiungi atque discedere passus. Sed eum pessum dare perfidi haeretici quotidie connitebantur, qui

victoriam de Apostolo referre volueret, viro sanctissimo de Aethiopia crudeliter exacto.

Imperator Ioannes, in bello contra Menelichium superior, a Clero Copto deceptus, ut sibi Massaia traderetur imperavit. Quem usque ad Aegyptum, per speciem legationis apud Europaeos fungendae, deducendum curat. Quo quum pervenisset, perpetui ab Abyssinia exsilii lex ab Imperatore perfertur.

Qui quum, corporis viribus fractus (triginta enim et quinque annos apud Aethiopes commoratus fuerat, aerumnas et innumeras mala perpessus, octies exsul, ter in carcerem detrusus) camelo quodam die de lapsus esset, male dorso affectus est, ita ut mari in Italiam contendere coactus fuerit ad valetudinem curandam. Verum adversariorum Massaiae victoria fluxa caduca que fuit. Apostolicum namque exsulantis opus non deperit; semper enim ipse cum Ecclesia proque Ecclesia adlaboraverat, quae suam firmitatem atque immortalitatem suorum operibus ministrorum imperit.

(*Ad proximum numerum.*)

P. FERDINANDUS AB AVILLANA, C.

CERTAMINA POËTICA

Certamen poëticum latinum Locris in Bruttii a Carmelo Triumviri constitutum.

De xxxii carminibus quae ad tempus missa in certamen an. MCMXXXI descendenter, ita a iudicibus relatum est:

Unum, *Aquila*, statim reiectum est, ut pote prorsus indignum; item X alia, exiliora quam ut animos legentium detinerent, seposita sunt.

Minus improbanda erant, quorum tituli: *Post nubila Phoebus; Lavinia; In Ducem;*

Italorum alarum triumphus; In optatis simam Vaticani et Italicis regni pacificationem.

Paulo meliora: *Fasces victores; Fuga Vergili; In proelium ad S. Laurentii; Amor amarities; Dum Latium Ausonius robur ...*

Tria, scilicet: *Sollemnitas Vergili; Iacet extra sidera tellus; Novus saeclorum ordo, in quibus multa nitebant, sunt collocata « in limine laudis ».*

Ex iis quae supererant, sex, ceteris aliud alia dote praestantia, visa sunt digna, quae laudarentur: *Vir plebe natus nostra salus erit* (Domin. Migliazza); *De morte Vergili* (Alexand. Mingarelli); *Daedalus* (Ios. Morabito); *Epistula ad Carmelum Triumviri* (Quir. Ficari); *In Vergilium nascentem* (Iosuè Salatiello); *Insontes* (Ioseph Morabito).

Duo praesertim *magna laude*, quae dicuntur, ornanda sunt visa: *Clitumnus*, quod Ioh. Latini; *Radiotelephonia*, quod Acast. Bresciani cecinit.

Longe unum praestabat *De Vergili nativitate*, quod iudices aureo numismate donandum concordes censuerunt. Aperta scidula, nomen poëtae prodiit *VINCENTIUS POLIDORI aretinus*.

Ad novum certamen, quod deinceps, singulis annis, mense Octobri iudicabitur, cives et peregrini invitantur, his legibus:

I) ne carmina L breviora neu ccc versibus longiora sint, neve prius edita aliave ex sermone translata;

II) ut trinisquaeque exemplaribus Britannico portatili prelo, seu machina ad scribendum, nitide impressa, sententia munita, quam obsignata scidula carmini adiuncta, poëtae nomen et domicilium continens, prae se ferat, hac inscriptione: *Al Direttore del Collegio « Principe di Piemonte » Gerace Marina, Calabria (Italia), prid. Kal. Quinti. MCMXXXII mittantur.*

Tres viri poësis latinae quam qui maxime peritissimi de carminibus tempore

missis, post tres menses referent, omnium optimo praemium decernentes aureum numisma *mille italicarum libellarum* egregio artis labore perfectum, et pariter magna, quae dicitur, laude digna, si qua videbuntur addito insuper diplomate, ornabunt. Carmina sive praemio sive laude ornata in ius Conditoris certaminis cedent.

HORAE SUBSECIVAE

Ludio praetereunte invitans ut ligneolas pupas spectent.

« Heus, heus, si quis homunculos videre Amat ligneolos perelegantem Et bellam modo fabulam datus, In istam citus advolet tabernam. Haud plus penditur asse; quid, malum, oh quid! »

Assem aut pendere vos pigebit unum? »

Nemo audit: male sit levi popello

Hinc qui praeteriens negotiosus

Me ieunia dura ferre coget,

Si nihil vacuo dabit lucelli.

Ad ravim tamen usque clamitabo,

Quam qui clamat oluscula atque caules:

« Hem spectare dicaculas figuras

Cuncti accurrite: scena, ludiones,

Parata omnia: scamna sola frigent,

Sed quicumque moram trahet pusillam,

Exclusus, puto, deinde conqueretur ».

Turba en convenit. « Eugepae, o iuventus,

Assem in pileolum iniice: huc venire

Immunis velit audeatne nemo,

Ni vult deminui sibi cerebrum.

Vos succedite protinus: feretis

Pro parva stipe plurimos cachinnos ».

H. N.

Ad importunum.

Desiste quo pergam obvius mihi semper Rogare, Fabrici; putasne me stultum Dixisse scilicet tibi locum verum?

F. X. B.

CAROLUS BRICARELLI

Carolus Bricarelli Augustae Taurinorum ortus est V Id. Octobr. anno christiano MDCCCLVII; rite ablutus nomen obtinuit Carolus.

Parentibus usus est religione ac pietate claris.

Morum innocentia ac studio christiana sapientiae in maximam omnes, imprimisque parentes, spem adduxit, eum fore virum qui et ingenii laude et fama virtutis omnibus praeluceret.

Mox litteris, deinde doctrinis philosophiae addiscendis Taurini operam navavit in Gymnasio ac Lyceo, iisque studiis adeo usus est, ut, quum lumine ingenii atque doctrinae laudibus ea superaverit, prae cunctis, quos aetate pares habebat, adolescentibus, religionis studio, insigni pietate christianisque virtutibus exornandi animum desiderio, civibus omnibus maxime probaretur.

Deinde ad Mathematicae, Physices, in Regio Machinatorum Athenaeo Taurinensi, disciplinas ita se convertit, ut vel secundum et vigesimum annum agens, summa cum ingenii laude mathesis doctor fuerit renuntiatus.

Cuius ingenio sese explicare et effundere feliciter gestienti aderat quasi fictrix moderatrixque religio; quam vix susceptus in lucem hauserat una cum vita ac spiritu a probatissimis parentibus tamquam princeps et avitum decus familiare. Hac duce et magistra etiam a puero nobilia et magna spectare coepit, eximiisque naturae dotibus atque ornamentis uti, ad animum excolendum.

Lex quidem naturae simul atque religionis est, ut ad quas quisque res se aptum sentit, in iis potissimum elaboret. Is igitur, quum iam esset aetate qua aliquod

emolumen posset mentis cultura et virium labore percipere, divina adspirante gratia, inter Sodales Societatis Iesu cooptari exoptavit, ubi post tirocinia primum vota simplicia ac deinde solemnia nuncupavit.

Sapienti Moderatorum consilio tradendae Mathesos in ephebeo S. Mariae Visitationis Principatus Monacensis ei munus est demandatum; ibique adolescentium animos ita sibi devinxit, ut, quum exacto cursu se valde profecisse intelligerent, per gratum sibi fecisse faterentur. In Universitate Aenipontana, ac deinde Romana, ad Philosophiae ac Sacrae Theologiae studia sedulo intendit ad Sacros Ordines rite digneque suscipiendos.

Sacerdotio auctus, Romae, pridie Kalendas Aprilis an. MDCCCLXXXVIII, ad animos pietate ac religione expoliendos se contulit, christianam deinde morum disciplinam tradendam suscepit, atque evolvendis sanctorum Patrum monumentis, sacramque adolescentibus dicendi artem docendis operam studiumque praestitit.

Ad Mathematicorum rationes ac sublilitates, in Pedemontana Provincia Societatis Iesu explicandas, deinde missus est.

Anno MDCCXCIX Romam remeavit, inter scriptores Ephemeridis cui a Catholica humanitate (vulgo *Civiltà Cattolica*) nomen, est adlectus. Christianae sapientiae adsertor acerrimus, strenuusque rei catholicae vindex ac propugnator ex scriptis in ipsa Ephemeride a se editis apparebat; et quidem ea doctrinae magnitudine, ea argumentorum vi atque copia, ut de importunitatis atque infestissimis Ecclesiae Catholicae hostibus non dubiam semper victoriam reportarit. Plura quoque scripta alia ex eius mente prodiere, praesertim de Artis historia, in quibus ingenii sui formam peculiarem impressit.

Quarum laudum, quae iure debentur Carolo Bricarelli, tot praecones sunt, quot eius scholae interesse potuerunt, quorum

multi Artis Sacrae cultura, vel disciplinis quae in rerum investigatione versantur nunc insigne, quoties de eo meminerunt, toties per honorifice praedicarunt.


Facile igitur perspicere nobis licet quanta illi fuerit et animi virtus et vis ingenii: qui dum tot doctrinarum atque artium studiis vacat, admissis poenitentium expiandis sedulo incumbit, eoque in munere quo pietatis studio, qua animarum cura, quae demum prudentia perfunctus sit, omnes, Römani praesertim, testantur, qui virum pietate perpetua complexum vehementer admirati, eum appellare sanctissimum minime dubitarunt.

Tres et septuaginta annos natum brevi morbo inopinata mors a vivis abstulit Romae, vii Kalendas Iulias huius anni MDCCXXXI.

Ave, anima candidissima, ave Sacerdos bone, ave optime suavissimeque Magister; ave iterum, lux nostra, atque vale; qui te deperimus, dum tui desiderium acerbe ferimus, tibi omnes a Deo gaudia caelestium adprecamur.

Mediolani.

JOANNES DE CASAMICHELA.

**ROMA SACRA**

SS. D. N. Pii Pp. XI litterae encycliae de ordine sociali instaurando et ad Evangelicae Legis normam perficiendo, in annum XL post editas Leonis XIII litteras encyclicas « Rerum novarum ».¹

Quo vero uberiora et laetiora in humanam familiam redundant emolumenta, duo necessaria maxime sunt: institutionum reformatio atque emendatio morum.

¹ Cfr. fasc. sup.

« Ac reformationem quidem institutionum quum commemoramus, res publica praecipue menti obversatur, non quasi ab eius opera universa salus sit exspectanda, sed quia ob individualismi vitium eo res sunt redactae, ut prostrata ac paene extincta locuplete illa et quondam per diversi generis consociationes composite evoluta vita sociali, fere soli remanserint singulares homines et res publica, haud parvo ipsius rei publicae detimento, quae, amissa forma regiminis socialis suspectisque oneribus omnibus, quae deletae illae consociationes antea perferebant, negotiis et officiis propemodum infinitis obruta est atque oppressa.

« Nam etsi verum est, idque historia luculentier ostendit, ob mutatas rerum condicione multa nunc non nisi a magnis consociationibus posse praestari, quae superiori aetate a parvis etiam praebebantur, fixum tamen immotumque manet in philosophia sociali gravissimum illud principium quod neque moveri neque mutari potest: sicut quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eidem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum ac recti ordinis perturbatio: quum socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debeat, nunquam vero eadem destruere et absorbere.

« Minoris igitur momenti negotia et curas, quibus alioquin maxime distineretur, inferioribus coetibus expedienda permittat suprema rei publicae auctoritas oportet; quo fiet, ut liberius, fortius et efficacius ea omnia exsequatur, quae ad ipsam solam spectat, utpote quae sola ipsa praestare possit: dirigendo, vigilando, urgendo, coercendo, prout casus fert et necessitas postulat. Quare sibi animo persuasum habeant, qui rerum potiuntur: quo perfectius, servato hoc «subsidiarii» officii principio, hierarchicus inter diversas conso-

ciationes ordo viguerit, eo praestantiorum fore socialem et auctoritatem et efficientiam, eoque feliciorem laetioremque rei publicae statum.

« Id autem in primis spectare, in id intendere et res publica et optimus quisque civis debent, ut "classum" oppositarum disceptatione superata, concors "ordinum" consipratio excitetur et provehatur.

In reficiendo igitur "ordines" ars politica socialis incumbat necesse est. Reapse violenta adhuc perseverat et hac de causa instabilis ac nutans humanae societatis condicio, quippe quae "classibus" innititur diversa appetentibus et ideo oppositis, propterea ad inimicitias dimicacionesque pronis».

Etenim «quae nunc est rerum condicio, operae conductio ac locatio homines in mercatu, quem dicunt, laboris in duas partes ceu acies dispescit; harum autem partium disceptatio ipsum operaे mercatum quasi in campum vertit, ubi adversis frontibus acriter illae acies dimicant. Huic pessimo malo, quo tota humana societas in exitium abripitur, quam citissime esse medendum nemo est qui non intellegat. Ast perfecta sanatio tum tantum efflorescat quum, oppositione illa e medio sublata, socialis corporis membra bene instructa constituentur: "ordines" nimirum, quibus inserantur homines non pro munere, quod quis in mercatu laboris habeat, sed pro diversis partibus socialibus, quas singuli exerceant. Natura enim duce fit, ut, sicut qui loci vicinitate coniuncti sunt municipia constituant, ita qui in eandem artem vel professionem incumbunt — sive oeconomica est sive alterius generis — collegia seu corpora quaedam efficiant, adeo ut haec consortia iure proprio utentia a multis, sin minus essentialia societati civili, at saltem naturalia dici consueverint».

Quum vero ordo unum sit ex plurium accommodata dispositione oriens «verus ac genuinus socialis ordo postulat, ut varia societatis membra firmo aliquo vinculo in unum

copulentur. Adest autem haec coniungendi vis cum in ipsis bonis producendis aut officiis praestandis, in quae eiusdem «ordinis» conductores et locatores sociato studio adlaborant, tum in bono illo communi, in quod omnes simul "ordines", pro sua quiske parte, amice conspirare debent. Quae quidem unio eo erit validior et efficacior, quo fidelius singuli homines ipsique "ordines" professionem suam exercere in eaque excelle sategerint.

Ex quo facile deducitur, in illis collegiis ea, quae totius "ordinis" sunt communia, longe primas ferre, inter quae eminent uniuscuiusque artis ad bonum commune civitatis conspiratio quam maxime fovenda. De negotiis autem, in quibus peculiaria commoda vel incommoda herorum opificiumve speciali indigeant cura et tutela si quando occurruerint seorsim utrique deliberare vel, prout res fert, decernere poterunt.

Vix est necesse commemorare, quod Leo Pp. XIII de politici regiminis forma docuit, idem, servata proportione, professionum quoque collegiis seu corporibus aequo applicari: nimirum integrum esse hominibus quam maiuerint formam eligere, dummodo et iustitiae et boni communis necessitatibus sit consultum».

Iam vero, quemadmodum municipii incolae ad fines maxime varios consociationes condere solent, quibus nomen dandi aut secus unicuique est ampla potestas, ita qui, in eadem arte versantur, consociationes pariter liberas alii cum aliis inibunt ad fines aliqua ratione cum ipsa arte et encenda conexos. Quum liberae hae consociationes a cl. mem. Decessore Nostro distincte ac dilucide explanentur, satis habemus, id unum inculcare: liberam esse homini facultatem, non solum has consociationes condendi, quae iuris et ordinis sunt privati, sed etiam eam in iis «libere optandi disciplinam, easque leges, quae maxime conducere ad id, quod propositum est, indicentur» (cfr. Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 42). Eadem affirmanda est libertas

consociationes instituendi, quae singularium artium limites excedant. Quae autem iam florent ac salutaribus laetantur fructibus liberalae associationes, collegiis iis praestantioribus seu "ordinibus", de quibus supra mentionem facimus, ad mentem doctrinae socialis christiana, viam parare sibi praestituant et pro virili parte exsequantur!»

Sed simul est directivum oeconomiae principium instaurandum. Quemadmodum enim unitas societatis humanae inniti non potest oppositione «classum», ita rei oeconomiae rectus ordo non potest permitti libero virium certamini. Ex hoc enim capite, tamquam ex inquinato fonte, omnes errores disciplinae oeconomicae "individualisticae" dimanarunt; quae, oblivione aut inscitia socialem ac moralem indolem rei oeconomiae delens, hanc existimavit ab auctoritate publica ut solutam prorsus ac liberam iudicandam esse et tractandam, propterea quod in mercatu, seu libero competitorum certamine, principium sui ipsius directivum haberet, quo multo perfectius quam ullo intellectu creato interveniente regeretur. At liberum certamen, quamquam dum certis finibus contineatur, aequum sit et sane utile, rem aeconomiam dirigere plane nequit; id quod eventus satis superque comprobavit, post quam pravi individualistici spiritus placita executioni sunt mandata.

Perquam necessarium igitur est rem oeconomiam vero atque efficaci principio directivo iterum subdi et subiici. Cuius quidem muneric vices oeconomicus potentatus, qui liberum certamen nuper exceptit, multo minus gerere potest, quum hic praeceps quaedam vis et potentia vehemens sit, quae ut salutaris hominibus evadat, frenari debet fortiter et regi sapienter; frenari autem et regi non potest a se ipso. Altiora igitur et nobiliora exquirenda sunt, quibus hic potentatus severe integreque gubernetur: socialis nimirum iustitia et caritas socialis. Quapropter ipsa populorum atque adeo socialis vitae totius instituta ea iustitia imbuantur oportet, maximeque necessarium est, ut vere

efficiens evadat seu ordinem iuridicum et socialem constitutat, quo oeconomia tota veluti informetur. Caritas vero socialis quasi anima esse debet huius ordinis, ad quem efficienter tuendum et vindicandum auctoritas publica alacris incumbat oportet; id quod minus difficulter praestare poterit, si ea onera a se excusserit, quae ei non esse propria ante declaravimus. Immo vero consociatis studiis laboribusque variae nationes id enitentur decet, ut, quoniam in genere oeconomico plurium inter se pendent ac mutua ope indigent, faustum quandam et felicem in re oeconomica populorum conspirationem sapientibus pactionibus atque institutis promoveant».

Hic litterae encyclicae memorant singularem recens initam syndicatum atque articulum collegiorum rationem, eamque ad trutinam revocant atque opportunis animadversionibus persequuntur.

Ipsa civilis potestas — aiunt — syndicatum ita constituit in personam iuridicam, ut simul quoddam monopolii privilegium ei conferat, quum ille solus, sic approbatus, opificum herorum (pro syndicatus specie) iura vindicare, ille solus de opera locanda et conducenda pacisci atque laboris foedera, quae dicuntur, firmare possit. Syndicatu nomen dare necne integrum cuique est, atque inter hos tantum limites huiusmodi syndicatus liber dici potest; nam et syndicalis collecta et pecunaria quaedam tributa ab omnibus prorsus certae cuiusque artis seu professionis membris, sive opifices hi sunt sive heri, exiguntur, quemadmodum operum pactionibus a iuridico syndicatu initis omnes ligantur. Verum tamen est ex officio esse declaratum hunc iuridicum syndicatum non officere, quoniam existant aliae eiusdem professionis assecularum consociatione non tamen iure agnatae.

Collegia seu corpora constituuntur ex delegatis utriusque syndicatus (operatorum nimirum et herorum) eiusdem artis seu professionis et, tamquam vera ac propria Status instrumenta atque instituta, syndicatus ipsis

dirigunt eosque in rebus communibus ad uuum idemque coordinant.

« Cessationes operaे vetantur; si partes item componere nequeant, adest magistratus.

« Iamvero, huius, quam summatim descripsimus, institutionis quaenam sint commoda, quicumque vel parum rem p̄penderit, facile perspicet: diversarum classium opera pacifice sociata, socialistarum repressa sodalitia, molimina cohita, peculiaris magistratus moderatricem auctoritatem exercens. Ne tamen in re tanti momenti quidpiam neglegamus, utque omnia, quae sive cum principiis generalioribus, quae supra in memoriam redigimus, sive cum iis, quae mox sumus adiuturi, apte colligentur, fateri cogimur, compertum Nos habere non deesse qui vereantur ne res publica, cui satis esse deberet ut necessarium et sufficiens auxilium praestaret, liberae activitati se substituat, neve syndicalis ille et corporativus novus ordo complexam administrationem et politicam nimis sapiat, neve (generalioribus illis commodis ultro equidem admissis) particularibus politicis scopis potius inserviat quam ad meliorem socialem ordinem instaurandum promovendum que conductat.

« Ah hunc alterum autem nobilissimum finem assequendum et commune bonum vera ac stabili ratione maxime iuvandum, id in primis et ante omnia prorsus necessarium putamus, ut Deus propitius adsit, utque dein omnes qui bonam gerunt voluntatem sociata opera ad illum scopum adlaborent. Persuasum praeterea habemus, id quod ex priore colligimus, illum finem eo certius obtentum iri quo copiosior sit eorum numerus, qui technicam et professionalem et socialem peritiam suam ad id conferre sint parati, atque etiam (quod pluris est) quo copiosius erit tributum ex principiis catholicis eorumque usu ad id collatum, non quidem ab Actione Catholica (quae activam vim proprie syndicalem vel politicam sibi interdicit), sed ab iis filiis Nostris, quos ipsa Actio Catholica illis principiis imbuit quosque instituit ad apo-

stolatum exercendum, Ecclesia duce ac magistra: Ecclesiam dicimus, quae etiam in hoc, quem adumbravimus, campo, sicut ubicumque de rebus moralibus quaestio est ac disceptatio, vigilantiae et magisterii mandatum sibi divinitus impositum oblivioni dare vel incuria praeterire non potest unquam.

« Quae autem de sociali ordine instaurando et perficiendo docuimus, ea profecto effici nullatenus posse sine morum reformatione vel ipsa rerum gestarum documenta aperte demonstrant. Fuit enim aliquando ordo quidam socialis, qui etsi perfectus quidem et omnibus numeris absolutus non erat, pro temporum tamen condicione et necessitatibus rectae rationi quadantus congruebat. Quod si periit ille ordo iam dudum, sane non id accidit, quia mutatis rerum condicibus et necessitatibus ipse accommodari se evolvendo et quodammodo dilatari non potuit, sed ideo potius, quia homines aut nimio sui amore obdurati eius ordinis gremium pandere, ut oportuisset, crescenti numero multitudinis renuerunt, aut quia falsae libertatis specie aliisque erroribus illecti cuiusvis potestatis impatiens, omne detrectare imperium connotati sunt.

« Reliquum igitur est ut, ea quae nunc vigeat rei oeconomiae ratione, et socialism, acerrimo eius accusatore, iterum in iudicium vocatis atque aperta de illis iustaque lata sententia, tot malorum radicem penitus investigemus et primum maximeque necessarium remedium in moribus reformatis indicemus».

Hanc autem tertiam suaे disceptationis partem Pontifex aggreditur res adnotans inde a Leoniana aetate plurimum mutatas; in primis rei oeconomiae speciem, praesertim tum ex agricolarum ordine, qui late crevit, suisque etis angustiis premitur ac difficultatibus, tum ex «capitalistico» regimine quaquaversus in dies dilapso adeo, ut «etiam eorum, qui extra eius ambitum versantur, oeconomiam et socialem condicione invaserit et pervaserit, eamque suis commodis sive incommodis

et vitiis, vere afficiat et quodammodo informet».

Atqui « omnium oculos percellit, nostris temporibus non modo coacervari opes, sed immanem accumulari potentiam et despoticum potentatum oeconomicum penes paucos, qui plerumque non domini, sed depositae rei custodes tantum et administratores sunt eamque nutu suo arbitrioque regunt. Qui potentatus ab iis vehementissime exercetur, qui, quum pecunias teneant et in eis dominentur, potiuntur etiam fenebris fidei et in credenda pecunia regnant, eamque ob causam veluti sanguinem administrant, quo vivit tota res oeconomica, et manibus suis quasi animam rei oeconomiae ita versant, ut contra eorum nutum respirare nemo possit.

« Haec potentiae et virium accumulatio, recentissimae oeconomiae quasi nativa nota, fructus est quem natura sua protulit infinita competitorum certandi libertas, quae eos tantum superstites relinquunt qui plurimum valent, quod saepe idem est ac dicere, qui omnium violentissime dimicant, qui minime animi conscientiam curant.

« Ea vicissim virium et potentiae acervatio tria gignit concertationum genera: contenditur enim primum de ipso oeconomico potentatu, tum acriter decertatur de potentatu in re publicam capessendo; ut eius viribus atque potestate ad oeconomics congregaciones liceat abuti: inter ipsas denique respublicas dimicatur, tum quod nationes, ad suorum quaeque civium oeconomica commoda promovenda, vim et politicam suam adhibent, tum quod potentatu et viribus suis oeconomicis adhibitis, politicas controversias inter nationes ortas dirimere contendunt».

Individualistici in re oeconomica spiritus ultima consecaria sunt ea, quae omnes, et perspiciunt et dolent: « liberum virium certamen ipsum se interemit: libero mercatui oeconomicus potentatus suffectus est; lucrī cupiditati proinde effrenata potentatus ambitionis successit; tota oeconomia horrendum in modum dura, immitis, atrox est facta. Huc

(Ad proximum numerum).

accedunt quae ex publicae potestatis et ipsius oeconomicae muneribus officiisque permixtis et foede confusis orta sunt gravissima damna: quale, unum ex summis, abiectio quaedam reipublicae maiestatis, quae quum ab omni studio partium libera et uni bono communi iustiaeque intenta, veluti regina et suprema arbitra rerum, alte sedere deberet, serva fit, hominum libidini et cupiditatibus tradita et mancipata. Quod autem ad nationes attinet inter se agentes, ex uno capite duplex effluxit diversum flumen: hinc “nationalismus” emanat aut etiam “imperialismus” oeconomicus, illinc vero non minus funestus et execratus rei nummariae “internationalismus” seu “imperialismus internationalis”, cui, ubi bene, ibi patria est.

« Quae tantis his malis mederi possint, ea in parte altera harum Litterarum exposuimus ubi doctrinam data opera tradidimus, ita ut hoc loco breviter illa in memoriam redigere satis habeamus. Quandoquidem re et opera maxime innititur praesens oeconomiae ratio, rectae rationis seu christiana philosophiae socialis principia circa rem, operam earumque consociationem et mente agnoscantur et opere ad effectum deducantur necesse est. Duplex imprimis et rei seu dominii et operae seu laboris ratio, id est individualis et socialis, aequa et rite pensanda est, ut et individualismi et collectivismi scopuli videntur. Mutuae utrorumque relationes ad strictissimae iustitiae leges, quam *commutativam* videntur, exigi debent, christiana caritate admiculante. Liberum certamen certis ac debitibus limitibus saepsum, magis etiam oeconomicus potentatus publicae auctoritati in iis, quae ad eius munus spectant, efficaciter subdantur oportet. Ipsa vero populorum publica instituta ad boni communis necessitates seu ad iustitiae socialis normam totam humanam consortium conformare debent; quo fieri nequit quin etiam gravissima illa vitae socialis pars, quae est res oeconomica, ad rectum et sanum ordinem redeat».

ANNALES

Condicio de belli debitibus ab America delata.

Dum quaestio de belli debitibus solvendis, a Germanis praesertim, agitatur, qui impares se oneri sibi imposito ferendo profitentur, Hoover, Septentrionalium foederatarum Americae civitatum praeses, per orbem condicionem nunciat de omni nominis solutione ad annum sustentanda. Accedunt, neque id mirum, illico ad eam Germani, neque Angli Italique recusant; aspernantur, contra, Galli, timentes ne decies plures centena sestertium milia a Germanis compendii facta, proprie ad pacis impensas cessura fiant; tenaces autem Younganae rationis velint, ut... cogitatione magis quam re condicio indicatur. Scilicet ut nummariae internationali mensae debitam summam Germania solvat, quae vicissim ei reddatur in provehendae industriae fidem.

De hoc argumento, aliisque minoribus cum eo connexis, disputant Parisiis Gallici administri cum Americano administro Mellon; sperandum est fore, ut ad communem omnium populorum utilitatem dissensio componatur.

Hispanica comitia.

Regii imperii fautoribus fere ubique sese abstinentibus, Hispanica comitia favorabilia maxime cesserunt Catalauniis, qui suis legibus esse volunt, quibusque praest Macia; deinde socialistarum factioni; parti denique reipublicae gubernii formae et ipsi faventi, sed in quiete ac temperantia; cuius pars est magna Alcalà Zamora, qui nunc rerum summa tenet. Quid inde?... Eventus docebunt.

¹ EX PETRI BEMBI *Historia veneta*, libro II.

Novus Gallicae reipublicae Praeses magistratum init.

Sollemni usitato apparatu, die xiii huius mensis Iunii, Doumer, novus Gallicae reipublicae Praeses, in suo munere constitutus est, statimque proprium officium singulis administris confirmavit, quorum collegium, de more, se magistratu abdicatorat.

POPULICOLA.

VARIA

Causae ob quas Carolus VIII, Gallicorum rex, in Italiam venerit.¹

Ad eam causam quod Carolo VIII haereditatis nomine Naopolitanum regnum deberetur, etiam aliae causae accedebant; ex quibus una haec fuit. Galeatio Sforza, qui Mediolani regnum obtinebat, complures ante annos per insidias interfecto, Ludovicus frater, uxore Galeatii e regni procuracyone, (quam illa, ut Ioanini Galeatio filio suo admodum parvulo, in fide atque officio civitatem contineret, post viri mortem suscepere) reliquisque administris paullatim deiectis, ipse se ei rei praeposuerat, annosque tredecim praefuerat; fratris autem filium, cui se regnum procurare prae se ferebat, ita porro aluerat, iisque moribus instituerat. ut omnem curram videretur adhibuisse, ne puer ullam ad frugem perveniret. Non rei militaris, non literarum studia, non denique artem nullam et disciplinam regiam edoceri illum voluerat, adhibitis etiam ad invenile ingenium depravandum corruptoribus, quorum ille convictu in omnem luxum atque inertiam assuefieret. Ei nondum

plane puberi Alfonsus II, Ferdinandi I regis filius, Isabellam filiam in matrimonium collocaverat, quae etiam liberos procreaverat: ad regni tamen sui gubernaculum a patruo nullam in partem admittebatur. Id quum graviter ferret non Alfonsus modo socer, assiduis prope filiae litteris lacrymisque permotus, sed multo etiam magis avus Isabella Ferdinandus, primo petere a Ludovico cooperunt, vellet pro sua fide et iustitia fratris sui filio non adulto modo atque firmo, sed etiam plane iam viro, atque adeo duorum filiorum patri, aliquando tandem regnum tradere, suique illum imperii, suarum rerum compotem facere. Ea postulatio quum saepius interposita nihil profuisset, gravioribus apud illum expostulationibus et querelis non semel egerunt; postremo eo rem deduxerunt, ut dicentes, sese illum bello persecuturos, ni Ioanni Galeatio, quocum affinitatem, uti cum rege, contraxissent regiam potestatem remitteret. Horum ille regum minas atque potentiam veritus, nem tam amplae civitatis principatum atque imperium ulli tradere cogeretur, quod suum unius efficere in animo magnopere habebat, filisque suis relinqueret, quum intelligeret Galliae regibus in regnum Naopolitanum ius esse, celatis ea de re Alexandro Pontifici Maximo Venetisque - (quibuscum paulo ante foedus percusserrat) -, ad speciem salutandi regis legationem maxime celebrem ad Carolum misit hortatum, ut id bellum susciperet, suasque illi opes copiasque pollicetur: facillimum factu esse, modo Alpes traiceret, atque in Italiam se ostenderet, eo regno potiri. Ea tanti hominis hortatio apud Carolum momenti plurimum habuit.

Mulus et Lupus.

Devoraturus mulum lupus: — « Qui vocaris tu? » inquit. — « Egone? », inquit mulus. — « Ita ais » — « At enim — inquit

lupus — nescio, nam oppido pusillus parentes amisi meos; audisse tamen quasi per nebulam memini, de matre, insculptum nomen meum esse in posterioris pedis dextri ungula. Si tibi videtur igitur, legas», et ad lupum posteriores pedes convertit. Cui quasi inspecturo scripturam nominis, vehementi ictu caput affigit, et effracto ungulam illisit in ossa cerebri. Ille humi sternitur; at vulpes, quae omnia audierat et viderat, irridet iacentem, ac: — « Heus tu, literate, istic nuncludum aperies scilicet — inquit — ut mulorum nomina recognoscas ».

Narratur fabula contra indoctorum arrogantium.

* *

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Pulmentum ex herbis.
Frica et varia obsonia Ligurum more.
Pisorum botellus.
Haedus assus, cum acetariis.
Dulcia gelida.

* *

Locosa.

Mater Tuccio:

— Heus, Tucci, nonne fratri tuo optimam piri partem dedisti, quemadmodum te monui?

— Papae! Semina ei dedi; quibus consistis pulcram arborem sibi habebit!

Tuccius patri:

— Cum hoc pileo nonne tibi perfectus birotularius videor?
— Ad quid interrogatio haec?
— Quo mihi birotam compares, ut vere sim.



LIBRORUM RECENSIO

ALEXANDRI ZAPPATA, *Carmina Latina*.

Curante Instituto Piceno de « Scientiis Litteris et Artibus » et municipio Anconitano, eduntur Fabriani politissimis typis *Gentile*, ornatis xilographiis Bruni de Auximo, *Carmina latina* Alexandri Zappata, vicesies magna laude aut aureo praemio in Batavis certaminibus ornata.

Viginti tria sunt carmina, quorum remotissimum, anno 1897, novissimum, anno 1927, conditum. Antiquiora punctionem et venationem anguillarum et folacarum, in lacunis Comaclensibus, ubi auctor natus est, canunt; atque argumenta quae aridula et exigua videntur vivacissima alacritate ornantur. Quae-dam Gentilium mores et facta celebrant, videlicet *Telemachus* et *Eucharis*, *Lampadephoria*, *Cervisia*, *Canternus lacus*, *Arminius*, atque omnium pulcherrimum *Sirmio*. Tria carmina Christi triumphum in Gentiles canunt videlicet *Sothericus*, *Guaschi montis* (Anconae) *Templum*, recentissimo bello a Teuthonicis armis temptatum, et severiore *Musa pulchrius*, *Magnus Pan*. Novissima carmina piissimo Christi amore et Christiana fide formantur: *Pauperculus Assisas* et *Mater Iesu* et *mater Iudea*, quod matrem Salvatoris et proditoris una lacrimas fundentes prodit.

Recentiora facta alia carmina tangunt, ut *Bucentaurus* et *Honori et memoriae Humberti I*, neque severissimas doctrinas aut novissime inventa negligunt, ut *Pus vaccinum* et *Lux electrica*. Recentissimum bellum, non modo *Guaschi montis templum*, sed etiam *Supertes sibi*, et praecipue *Bruttius* memorant; quod quamquam tristia narrat, maximam, legentibus delectationem mihi afferre videtur.

In carmine quod *Multum demissus homo* inscribitur, poëta se ipsum, ipsius modestum victum et animum, puerili quadam ingenuitate pingit.

Magnopere Latinae Musae cultores et ama-

tores hortamur ut candida, politissima, omnibus laudibus digna carmina A. Zappata perlegant et divulgant, quae magni poëtae et suavissimi animi perenne monumentum supersunt.

Anconae.

IUNIUS GARAVANI.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. I. L. SEUF..., *Norwood*. — Omnia accipimus, tibique amplissimas gratias peragimus. Desiderio tuo sub anni finem faciemus satis; sed tu vivas in saeculum feliciter!

Cl. v. ALOISIO TAB..., *Anconae*. — « Recensere » idem est ac iudicium ferre; atqui iudicium non semper secundum esse potest. Si vero illud, de quo quereris, pacata mente relegeris, tibi facile persuasum erit venenum, ne ad medicinam quidem tunc appositum fuisse!...

Cl. v. IOAN. CASAM..., *Mediolani*. — Premium subnotationis non decem, sed quindicim libellarum est. Velis igitur summam exaequare.

Cl. v. I. B. PIG... *Comi*. — Mittas quae sociis et lectoribus conducere possint, nosque libentissime edemus. Macte igitur nova in dies virtute! — Fasciculos quos desideras, ubi omnes colligere fas fuerit, tibi dabimus.

St. M. COL..., *North East*. — Omnia solvistis. Valete cum nostris gratiis.

A SECRETIS.

SOCIIS MONITUM

Ut iamdiu assuevimus, fasciculi mensis Augusti et Septembbris in unum colligentur, qui primis Septembbris mensis diebus prodibit.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

Zampini — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

9 MAR 40